



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

Bosco, Jean a

Lovanii, 1670

Concl. VII. Dimidiari non potest Absolutio sacramentalis circa peccata
mortalia ritè confessa, nec licitè, nec validè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

ministri Matrimonii perfectè contrahere, & nihilominus suspendere effectum Sacramenti ab aliqua conditione in futurum.

Exempli gratiâ supponamus sententiam, quam Aliqui putant esse veram, ut suo loco videbimus, quod Matrimonium inter fideles possit esse validum in ratione contractus, & non Sacramenti; Dico; quod non sit in potestate contrahentium facere contractum validum, & suspendere rationem Sacramenti ab aliqua conditione in futurum; sed vel statim valet contractus ille in ratione Sacramenti, vel nunquam valebit, eodem modo, quo in aliis Sacramentis, posita materiâ & formâ Sacramenti, v. g. in Baptismo ablutione cum his verbis: Ego te baptizo &c. & in Sacramento Penitentia: posita hâc formâ verborum: Ego te absolvo &c. præviâ Confessione, vel statim valet Sacramentum, vel nunquam.

Ut proinde tota differentia inter Matrimonium, & alia Sacramenta, in eo consistat, quod contractus matrimonialis admittat conditiones de futuro instar aliorum contractuum, ita ut non sit absolutus & perfectus contractus, nisi impletâ conditione, sed solum quasi initium; Ablutio autem æquè sit perfecta & completa & absoluta, sive addatur conditio futura, sive non. Et similiter pronuntiatio formæ, v. g. Ego te baptizo &c. cum sit actio aliqua externa, fieri non potest, ut semel posita, postea, deficiente conditione aliqua, non fuerit posita. Vel si nunquam posita adhuc fuit, nequit fieri, ut per solum conditionem supervenientem ponatur.

Dices; fieri potest, ut adveniente conditione, absolutè & perfectè significet, quod antea tantum significabat conditionatè & imperfectè. Respondeo; significationem non esse formam Sacramenti, sed magis externam pronuntiationem, quamvis non absque significatione: cum ergo quando significatio ponitur, non amplius existat externa pronuntiatio, quæ est forma; si antea non erat Sacramentum, neque jam fiet Sacramentum, defectu formæ. Hæc possent sufficere pro doctrina communi.

Perplacet tamen adungere novum aliquod argumentum, noviter, ut puto, inventum à Bonæ Spei; quia in aliis Auctoribus, quos perlegi, illud non invenio. Est autem huiusmodi: Nisi Sacramentum operetur dum est, posita postmodum conditio potius gratiam ex opere operato conferet, quam ipsam Sacramentum, quod dici non potest; vide argumentum capituli Ad hæc quoniam De Appellat. ubi prohibetur Absolutio in suspensio. Hæc ille disp. 4. n. 35.

Vidi cap. Ad hæc quoniam 37. estque sequentis tenoris: Ad hæc quoniam sub interdico aliqui consuevit appellari, & deinde illud servare contemnerunt: quid in hoc casu servandum sit consulere voluisti. Nevis igitur, quod sicut post appellationem excommunicari non possent: sic interdico nequeant, cui ante appellationem eos constat suppo-

sitos, declinare. Vidi, inquam, & naturius expendi singula verba illius capituli, sed nondum vidi argumentum, id est, quomodo ex isto capite possit probari, quod non liceat aut valeat Absolutio sacramentalis sub conditione de futuro.

Et verò, ubi prohibetur in isto capite Absolutio in suspensio? Neque de suspensione, neque de Absolutione aliqua mentio, sed de interdico, & de appellatione, per quam clerici volebant declinare interdico, cui ante appellationem suppositi erant. Sed quid hoc ad propositum Absolutionis sacramentalis sub conditione de futuro? Iterum dico, non video.

Ut igitur finem imponamus huic Conclusioni, optima & efficacissima ejus probatio est voluntas divina, quæ statuit, ut omnia Sacramenta operentur suum effectum statim, atque tota essentia posita est, nisi aliquid obstat. Licet ergo non repugnet, Absolutionem fieri sub conditione de futuro, præcisè quæ est Absolutio, equidem quia Sacramentum est, oportet sequatur naturam seu institutionem aliorum Sacramentorum; in tantum, ut si satisfactio, quæ est pars integralis, poneretur ante Absolutionem, statim post Absolutionem poneretur ejus effectus, id est, remissio pœnæ temporalis, nunc autem, quia ordinariè sequitur Absolutionem, hinc non mirum, si tantillum differat effectus, sicuti suspenditur effectus Baptismi post ablutionem usque ad prolationem formæ; quamvis alioquin, si prolatio formæ præcessisset, illicè post ablutionem Sacramentum contulisset suum effectum. Proinde, ut supra diximus, potest quidem minister suspendere effectum, differendo aliquam partem Sacramenti, posita tamen materiâ & formâ, cum intentione conficiendi Sacramentum, non potest suspendere effectum, quia effectus sequitur ipsum Sacramentum quasi naturaliter, velit nolit minister. Et ideo dico:

CONCLUSIO VII.

Dimidiari non potest Absolutio sacramentalis circa peccata mortalia ritè confessa, nec licitè, nec validè.

Ad illam particulam: Ritè confessa, id est, confessa legitimo Iudici; nam fieri potest, ut pœnitens confiteatur peccata reservata cum non reservatis illi, qui non habet potestatem absolvendi à peccatis reservatis, & in isto casu planum est, peccata reservata tantum absolvi indirectè, tamen peccata non reservata absolvantur directè, idque non defectu intentionis ministri, sed defectu potestatis; de hac ergo dimidiata Absolutione non loquitur Conclusio, sed de illa, quæ præcisè

157. Optima probatio Concluf. est voluntas divina.

158. Quæ ad datur in Conclusio 19. Ritè confessa.

Nihil 2 oriretur

oriretur ex defectu voluntatis ministri, quia videlicet Sacerdos, quamvis possit ab omnibus peccatis confessis absolvere, tamen non vult, nisi ab hoc vel illo particulari peccato.

Et quamvis certum sit, non posse validè absolvere ab uno peccato mortali directè, nisi ab omnibus absolvat saltem indirectè; quia effectus Sacramenti, ut puta gratia sanctificans, secundùm præsentem Dei ordinationem, est impossibilis cum quocumque vel minimo peccato mortali: equidem dubium est, an possit validè absolvere directè ab uno peccato mortali, & non ab alio ritè confessò, præcisè quia non vult; sicuti potest validè consecrare unam vel plures hostias, ante se positas, aliis prætermisissis, quas tamen, si vellet, unà consecraret.

Conclusio, quæ est Suarii disp. 31. sect. 1. n. 3. probatur; quia licet valor Sacramenti pendeat ex intentione ministri, tamen posito Sacramento, effectus ejus non pendet ex illius voluntate, quia Sacramentum jam agit per modum causæ naturalis juxta dispositionem recipientis; hic autem suscipiens dispositus est, ut supponitur, ut per se & directè remittantur illi omnia peccata per Sacramentum; ergo non tantùm illicitè, sed etiam invalidè dimidiatur Absolutio.

Ad simile respondetur; materia vel quantitas ejus in Sacramento Eucharistiæ non est jure divino determinata, sed per intentionem ministri determinari debet: at verò materia Absolutionis est determinata jure divino, scilicet omne peccatum non ritè confessum; mortale quidem materia necessaria, veniale autem libera; & ideo cùm minister intendit applicare formam, non potest excludere partem materiæ.

Deinde, inquit Suarez supra n. 4. est alia differentia; quia in aliis Sacramentis materia applicatur ex intentione ministri; hic autem ipse suscipiens est, qui applicat materiam, & ita hoc totum pendet ex intentione ejus; ad ministrum autem pertinet inducere formam. Necessariò ergo, si vult perficere Sacramentum, conficit illud ex tota illa Confessione peccatorum, & forma; ergo necessariò etiam remittit per se & directè omnia peccata. Hæc ille.

Et licet potissimùm loquatur de peccatis mortalibus, equidem ratio assignata etiam militat pro venialibus; præsertim cùm gratia sacramentalis, quæ datur in Absolutione venialium, æquè, aut saltem sufficienter, repugnet omnibus peccatis venialibus ritè confessis; sicut gratia, quæ datur in Absolutione mortalium, æqualiter repugnat omnibus peccatis mortalibus ritè confessis. Neque datur major vel minor gratia secundùm mensuram, quam absolvens vult, sed quam Spiritus sanctus vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem. Sicut ergo omnia mortalia saltem indi-

rectè remittuntur, quidni etiam omnia venialia?

Dices; quia nec hoc, nec illud peccatum veniale remittitur propter repugnantiam, quæ habet cum gratia sanctificante, cùm per nullum omnino gratia sanctificans expellatur; ergo licet aliqua remittantur per Absolutionem & gratiam, quæ in Sacramento infunditur, non tamen propterea omnia, etiam indirectè. Cur autem magis hæc, quàm ista? Non videtur alia ratio, quàm voluntas ministri.

Fateor, hæc esse differentiam inter peccata mortalia, & venialia; & ideo majus dubium de his, quàm illis. Interim videtur hoc Sacramentum ita institutum; ut non sit in arbitrio Sacerdotis uti potestate Clavium, nisi juxta exigentiam materiæ, de qua judicialiter cognovit ex Confessione rei seu pœnitentis. Hanc autem institutionem colligimus ex communi usu & praxi Ecclesiæ, quæ nunquam solent aliter absolvere.

Nihilominus oppositam sententiam, teste Suario supra n. 2. sequitur Medina q. 14. de Confess. Et Card. Lugo disp. 20. n. 77. ait: Hoc tamen difficultate non caret, nec facile probabitur, non posse validè (quamvis non licitè) Sacerdotem velle absolvere ab his (peccatis mortalibus ritè confessis) & non applicare directè Absolutionem ad alia (similiter ritè confessis) sed habere se, sicut si ea non dividisset.

Ego tamen (inquit Arriaga disp. 40. n. 41) omnino judico cum Patre Suario nullatenus id posse validè fieri; quia in primis ille homo tunc, si absolvitur ab aliquibus mortalibus, necessariò, saltem indirectè, ab omnibus absolvitur, hoc est, quoad Deum jam est absolutus & gratiam accepit; ergo quoad hoc punctum dividi non potest Absolutio; neque item dividi potest quoad Absolutionem directam; quia illa Absolutio directæ coram Deo nihil aliud efficit, maxime in sententia Card. Lugo, quàm tollere obligationem ea peccata confitendi ei, qui habet directam jurisdictionem ad absolvendum ab illis; ergo non poterit dici, quòd maneat talis pœnitens obligatus aliqua secundò confiteri, cùm jam satisfecerit obligationi, se sistendi coram habente legitimam jurisdictionem, & ille absolvens indirectè, non poterit privare se eà jurisdictione; ac proinde non poterit illum obligare ad hoc, ut secundò confiteatur. Hæc ille.

Atque, ut verùm fatear, cùm multa alia sint in hoc Sacramento necessaria ad valorem, de quibus nobis non constat, nisi per continuum usum & universalem praxim Ecclesiæ, ignoro planè, quare Eminent. reddat se difficilem in præsentis puncto, de quo satis constat, si non ex verbo scripto, saltem tradito per continuum usum & universalem praxim Ecclesiæ; nunquam enim legitur, vel auctum fuit,

159.
Probatio
Conclus.
Suarez.

Differentia
inter hoc
Sacramen-
tum & Eu-
chariæ.

160.
Alia differe-
ntia ex
Suario.

Eadem vi-
detur ratio
de mortali-
bus & ve-
nialibus.

fuit, aliquem Confessarium post audita omnia peccata penitentis seu mortalia seu venialia, ab aliquibus voluisse absolvere, ab aliquibus non, cum tamen posset ab omnibus absolvere si vellet: quidquid sit de praxi Romana, quæ ab Aliquibus obtruditur, audiendi sola peccata reservata, ab eisque sacramentaliter absolventi, de qua infra proprio loco.

Per se constat esse absurdissimum, inquit Suarez supra n. 5. quod Parochus posset, auditâ integrâ Confessione sui Parochiani, non illum integrè absolvere, sed tantùm de quibusdam peccatis, & pro reliquis eum mittere ad doctiorem alium Sacerdotem, loquendo de Absolutione Sacramentali; secus ratione consilii, aut alterius remedii.

Ut ut sit de valido, saltem non licere hujusmodi dimidiatam Absolutionem, pro comperto habetur apud omnes; quia aut penitens est dispositus ad recipiendam Absolutionem, vel non: si non, à nullo peccato debet absolvi; si est, ab omnibus, saltem mortalibus, est absolvendus, sicut ipse omnia mortalia tenetur confiteri. Siquidem integritas in Confessione requiritur propter integritatem in Absolutione; si ergo in Confessione requiritur integritas, cur non magis in Absolutione? Præsertim quia post factam integram Confessionem, nulla potest esse causa rationabilis ad dimidiam Absolutionem.

Cum ergo constet in omni prioris casu id esse illicitum, hæc maneat resolutio finalis: vel ille Confessarius habet intentionem confitenti Sacramentum; vel non; si non habet, nullum peccatum remittit; si habet, velit nolit omnia peccata remittit, si penitens non ponit obicem. Quippe verba formæ generalia sunt, & quamvis ab intentione ministri dependeat ut sacramentaliter significant, tamen suppositâ sacramentali significatione, non est cur potius significant remissionem hujus, quam illius peccati, quando omnium est eadem dispositio penitentis, & jurisdictio absolventis.

Sed nunquid, interrogat quispiam, forma Absolutionis potest proferri à pluribus ministris, adeoque plures ministri eundem validè absolvere ab eisdem peccatis? Responsio erit

CONCLUSIO VIII.

Possunt plures ministri eundem simul validè absolvere ab iisdem peccatis; eruntque tali casu plura Sacramenta, etiam aliquando formaliter.

Loquitur Conclusio de simultanea Absolutione, nam de successiva liquet profectò, quod sicuti penitens eadem peccata potest successivè iterum & iterum subijcere Clavibus Ecclesiæ, ita ab eisdem possit successivè iterum & iterum absolvi, sive ab eodem, sive à diversis ministris, prout eidem, aut diversis consistetur.

Præterea loquitur de eisdem peccatis; nam si penitens velit dividere peccata venialia, & unam partem uni, alteram alteri confiteri, indubiè uterque minister posset simul illum absolvere à peccatis sibi confessis, & singuli conficerent distinctum Sacramentum, & conferrent distinctam gratiam; cum sit distinctus dolor, distincta Confessio, & distincta Absolutio; per accidens autem est, quod eodem tempore proferatur Absolutio.

Et verò quod dictum est de peccatis venialibus, etiam de mortalibus intelligendum, quando licitè dimidiatur eorum Confessio; v. g. in Aliquorum sententia potest Prælati velle solum audire peccata reservata, & ab iis directè absolvere, mittendo penitentem ad alium, cui confiteatur non reservata; suppositâ tali casu Confessione utrique factâ, non est ratio, quare Prælati, & inferior Confessarius, non possent simul validè, immo & licitè absolvere à peccatis sibi confessis.

Difficultas ergo est, quando eadem omnino peccata simul consistetur pluribus ministris, ut ab ipsis simul recipiat Absolutionem sacramentalem. Dico, *Simul consistetur*, quia si hodie uni confiteatur, crastinâ die alteri, si uterque postea simul occurrat, cur non poterit ab utroque petere Absolutionem? Cur non poterit ab utroque simul absolvi, sicut poterat successivè? Cur non accipiet duplex Sacramentum, & duplicem gratiam, sicut si successivè absolvisset? Uterque enim jus habet judicandi, ac si ad ipsum solum recurrisset. Cum ergo in tali casu sit duplex dolor, duplex Confessio, duplex Absolutio, nulla est ratio, quare non sit duplex Sacramentum, etiam formaliter, id est, conferens distinctam gratiam; eodem modo ac si diversa peccata pluribus fuisset confessus, & à pluribus simul absolveretur.

165. Plures ministri successivè possunt eundem absolvere ab iisdem peccatis.

Et simul à diversis.

etiam mortalibus.

166. Præterea simul ab iisdem diversis confertur.

quò est duplex Sacramentum formaliter.